SERVASANCTUS TUSCUS DE FAENZA

Italien (?), 3. Viertel 15. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.V.

aliquit sed piscis non sui generis. Qui serpens sic est
ei fidelis quod ante commixtionem venenum omne deponit
nec illa umquam alteri quam serpenti se unit. Detestanda
est ergo humana lascivia. Detestanda infidelitas
nostra quando inter natilia tam modesta est continentia
et serpentis tanta invenitur fidelitas ad mure-
nam. Nota etiam hic quod inter animalia in generati-
onis ordine volucres sequuntur maxime honestatem
Nam mares ais sollicitudine feminas querunt Inven-
tas diligunt pro ipsis defendendis omnibus omnibus
periculis se exponunt et ipsis quasi coniugali fe-
dere se coniugunt et fetus suos communiter pascunt. Na-
turaliter enim aves inter sexum et sexum discerni-
cant exceptis perdicibus que sexum non servant
Sed masculus in masculum femina in feminam Sodo-
mitico more se calcant. Et dicit Aristoteles quod ex
tali coitu non nascuntur ova pollificancia Sed
ova potius vento plena Et addit quod ex tali coitu
malus odor sentitur quia natura in eo leditur non
servatur. Observant igitur aves in generando
temporis congruitatem Nec omni tempore vacant luxurie
Sed tantum in vere. Nam tempore feris dulciter cantant
mares feminis se associant vocibus et nutibus ad
amorem mutuo se invitant simul nidificant simul
ovant simul pullificant et simul filios generatos
educant. Completo vero generationis officio
a cantu mox cessant se ab invicem separant et usque
ad generationis tempus coitu non approximant. Utinam
tanta esset in hominibus continentia ut postquam semel con-
cepissent femine cessarent a luxuria quousque fi-
lium peperissent. De hoc nos requirite infra multa ex-
empla ubi agitur de multiplici continentia ;~

Explicit liber Secundus. Incipit Tercius fe-
liciter ;~ Capitulum primum Sequitur ;~